

aliquot ante mensibus tractari cœpisset, pax secuta 1449 est.

Erat hic magnus annus, & quem Jubileum vocant, ob idque omnes Europæ gentes Romam confluebant. Accidit itaque ut nobilissima Germani sanguinis fœmina, aliquot comitata equitibus, per Mantuanos & Veronenses fines peregre transiens, non sine suorum cæde fuerit ad stuprum rapta. Ea vero scelus averfata, haud precibus minisve ullis adduci potuit, ut raptoris libidinibus obsequeretur: cæterum pudicissimum corpus miserabili modo vexatum, prius ferro violari passa est, quam voluntario scelere fœdari. Habebat tum in iis locis castra Sigismundus Ariminensis, qui illis ipsis diebus a Venetis fuerat exauctoratus: venit in suspicionem, quia juvenis & ferrox, quod peregrinæ fœminæ pulchritudine captus, in eam manus injecisset: sed ille, quia id Patres iniquissimo tulisse animo dicebantur, ad diluendam calumniam quosdam turmarum ductores, quasi ejus sceleris conscios, Venetias vinctos misit. Quæstione autem super ea re habita, quia nihil ad eos, qui ad supplicium traditi fuerant, noxam illam attinere compertum est, nullo majore incommodo affecti sunt. Pax quæ nuper Ferrariæ fuerat composita, miro civitatis gaudio Venetiis præconis voce est publicata. Lauretanus, cui sub vernum tempus, antequam pacis spes ulla certior affulisset, biremes septem in supplementum decretæ fuerant, parte navium ad præsidium sinus relicta, cum reliqua classe domum venit. Fuit annus ille non solum religione insignis, sed Fœderici quoque Imperatoris & Leonoræ conjugis in Italiam accessu, quos Nicolaus Pontifex in augustissimo Divi Petri templo imperatoria corona insignivit. Sunt eo quoque anno Veneti ab eodem Pontifice aurato ense, balteo, pileoque donati. Nicolaus Canalis, qui apud illum publico nomine tunc erat, munera domum attulit, quæ eo die quo pax publicata est, solenni pompa sunt circa Principem conspecta. Cum Sforzia per id tempus nonnihil de pace per legatos est actum, Paschale Maripetro Cremam ad id ipsum

1450

*Fœmina
Germana
Romam in
Jubileo pro-
fecta ad stu-
prum rapi-
tur.*

*Fœdericus
& Leonora
a Pontifice
coronantur.*